

Bibliothèque numérique

medic@

**Berthollet, Claude-Louis - candidat /
Coutavoz, Jean-Auguste - président /
Vachier, Clériade. - Num Bubonis
critici in febribus malignis statim
incidendi ?**

1779.

***Paris : Typis Quillau
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°36***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0036



DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUOTLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesima
mensis Aprilis, anno Domini M.DCC. LXXIX.*

M JOANNE-AUGUSTINO COUTAVOZ,
Doctore Medico, Præside.

Num Bubones critici in febribus malignis statim incidendi?

I.



MIASMATA vitiosa vel in corpore nata, vel extrinsecus suscepta
& intra circulationis vias abrepta febribus humoralibus originem
præbent. Hæ eò periculosiores, quò illa difficilioribus aut naturalibus
humorum moleculis assimilari, aut per varia colatoria foras aman-
dari queunt. Idcirco febris maligna tragedias inferre solet. Etenim
fævissimi hujus morbi causa est materia (a) multum sed inequaliter
spissa particulas diversi generis nimirum alias acescentes, alias acres, alias acerrimas

* Auctore Cler. VACHIER. M. P. 1770.

(a) Fises, Tract. Februm, cap. de Febre maligna.

A

ac velut venenatas in sinu suo gerens. Hinc oriuntur symptomata eò graviora, quò alia aliis contraria medelas oppositas exigant. Quantumvis numerosa sint & atrocia febris malignæ symptomata, quantumvis composita sit illius causa, quotiescumque varias indicationes adimplere licet, & infarctus viscerum inflammatorius venæ-sectionibus ac demulcentibus ita cautè expugnatur, ut attendatur ne fibrarum tonus in eo morbo multum debilitatus omninò frangatur; & fluidorum spissitudo cardiacis emendatur & pravorum succorum in primis viis nidulantium emeticis ac catharticis evacuatio promovetur, sed eà cautelâ quâ præcaveatur ne materiæ morbidæ molecule acres excandescant; toties morbi sævitiam profligat ars Apollinaris. Interdum ex medentibus non tantum requiritur opus, scilicet: quando viscera vel remediis adjuta vel ex se ita robusta ut ad parres externas febrilem causam ablegent: tunc glandulæ, ut potè quæ debiliori textu donatæ infarciuntur, inflammantur; hinc bubones, qui ideò critici nominantur, quia iis obortis febris malignæ symptomata remittuntur. Verum licet morbi causa in parte ignobili velut incuneata videatur, haud contemnenda. Etiam-num ex metastasi in procinctu sunt maxima mala, quæ ut avertantur eò dirigenda est Medici cura, ut teterrima labes è corpore citò citius educatur. Idcirco si nulla opera hunc finem maturius assequatur quàm bubonis incisio, hæc statim celebranda.

I I.

BUBONUM curationem duobus modis aggredi solemne est, nempe resolutione & suppuratione. Priorem medelam suscipiunt bubones essentielles; ii enim licet producantur aut à cohibita secretionem aut ab ictu, modò venæ-sectionibus è glandulis revellatur sanguis, ac solventibus topicis & humores concreti attenuentur & refocilletur vasorum tonus; fluida prius stagnantia vel per cutis poros avolant, vel emendata & assimilata sanguinis vias absque noxâ iterum subeunt. Nec infelicitè resolvuntur bubones symptomatici, sic hydrargyrosi ritè administratâ haud infrequenter discutiuntur bubones venerei; imò cum huic cesserant, luem syphiliticam radicatus fuisse extinctam pro certo habetur. Et ipsi bubones pestilentes qui, non secus ac alia dirissima symptomata concomitantia, sobolescunt ab insigni corruptelâ sanguinis in suâ crasi perversi, à remediis sanguinis universam labem refarcientibus, non neglectis topicis, quandoque resolvuntur. At verò bubonum criticorum in febribus malignis resolutionem tentare, grande piaculum credas. Vel non fiet resolutio & intereà conamine inani prorogabuntur ægrotantis cruciatus, vel quod pessimum, venæ sectionibus revelletur ad interiora fluidum exitiale, topicis ad viscera repercutientur miasmata venenosa, remediis internis ab opere salutari amovebitur natura: hinc lypothimæ, syncopes, comata, obscura deliria, tendinum subsultus, inflammationes viscerum gangrenosæ, mors. Verum valentissimo molimine juvetur natura quæ hostem infensissimum superare non potis, eum removet. Ocius è corpore eximatur materia quæ illius ruinam machinatur. Non tutiori medelâ educuntur inemendabiles succi in glandulâ sævientes quàm ipsamet suppuratione glandulâ. Quis ergò incipias eat suppurationem celerrimè esse promovendam.

I I I.

GLANDULÆ, cum vasculis lymphaticis pluribus inflexis potissimum conflentur, paucioribus verò sanguineis intertextæ sint, lentè ad suppurationem ducuntur. Prætereà in bubonibus criticis plurima suppurationi obstant, Hu-

3

mor maximè spissus attritioni reluctatur; glandularum vasa priùs febre malignâ debilitata jam infarctû obruta debiliùs oscillant; sanguis corruptus in anfractu-
 fos glandulæ recessus debilitatos conamine naturæ pulsus intestino motu segniori
 donatur. Attamen unico opere suppuratorio tutò exterminari potest teterrima
 lues. Idcirco cum bubonum criticorum spontanea suppuratio non nisi ægerimè
 peragi queat, potentissima arte excitanda. At non alia encheiresis efficacius &
 tutius metam attinget quam glandulæ incisio. Hâc enim operatione profundetur
 sanguis sordidus qui, tanquam febris malignæ colluvies, stagnabat. Ideo immi-
 nutis in glandulâ resistentiis novus sanguis jam expurgatus majori copiâ appellet,
 vasa sectione irritata validiùs oscillabunt. Quæ cum ita se habeant nemini non
 liquet suppurationem brevi futuram. Mox enim vasa secta in se retrahentur, &
 ab aliis pressa humorum effluxum negabunt; intereà vasa integra, eò magis tur-
 gescentia, quò nullus per secta meatus, validiùs oscillabunt. Hinc atterentur va-
 sorum sectorum tunicæ unâ cum fluidis contentis & per inflictum vulnus citò
 evomentur miasmata exitiosa.

I V.

QUANTI bubonum criticorum in febribus malignis valeat incisio, ex pe-
 riculis ab eâ propulsatis pendatur. Periculum est ne cordis, & arteriarum
 vires à febre malignâ labefactatæ impares sint ad glandulæ vasorum tonum ita
 frangendum, ut materia morbifica in his figatur, & idèò timendum ne ad organa
 præstantissima iterùm venefica illuvies abigatur. Supposito quòd glandula ita li-
 quidorum impulsui cesserit, ut lymphatica omni tono fuerint orbata, vi systal-
 ticâ in sanguiferis permanente, hæc lapsu temporis sese expedient, illa verò anâ
 cum contentis solidescant, indurabuntur; unde scirrhus canceri parens. Quantum-
 vis teterrima sint ab induratione impendentia, ut pote quæ diffusa maximum
 terrorem non incutiunt. At ostia pulsant gangrena & sphacelus; quippe cum san-
 guifera omnia jam turgida ita novo impulsui cedant ut summopere dilatata
 reagere nequeant; in his contenta tanquam in cloacâ putrescent. Aut licet san-
 guifera systalticas vires retinuerint, mox particulæ acerrimæ ac velut venenatæ
 omnia vasa corrodent, lacerabunt & vasorum lacinia unâ cum fluidis extra-
 vasatis in putidam, putrilaginem abibunt. Unde partis corruptio citò, totiùs
 necem illatura.

V.

ASSIGNATA bubonum criticorum in febribus malignis causâ, perpen-
 dis urgentibus periculis quæ ab eorum incisione arcentur; quis dubitet hanc
 statim celebrandam? Huic autem operationi exequendæ se accingens Chirurgus
 det operam ut *Stenonis* ductus in parotidibus à sectione sint immunes, ut axillæ
 vasa & nervorum trunci à sectione bubonum in axillis non lædantur, ut incisio
 hanc directionem obtineat, quæ cicatrici successuræ non noceat. Idcirco paro-
 tides ope scalpelli recti profundè incidantur juxta lineam perpendicularem ab
 auribus ad angulum maxillæ; in glandulis axillarum & inguinum sectio sit trans-
 versa, dein scarificetur glandula si imminentis gangrenæ sit suspicio. Sectâ glan-
 dulâ, sanguine effuso, inferantur penicilli unguento basilicone, theriacâ & bal-
 samo sulphuris therebintinato illiti. Demùm operiatur tumor iis quæ suppurationem
 protrahant. Hâc encheiresi citò, tutò terminabuntur bubones critici. Nobis in-

96

4

castum obijceres expectandam maturationem & juvandam topicis, ut dein collecto puri exitus lanceolæ ope præbeatur; cum jam jam probaverimus suppurationem spontaneam admodum incertam esse, sed è contra metastasim & gangrenam maximè imminere. Unde concludere licet.

Ergò bubones critici in febribus malignis statim incidendi.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

<i>M. Guillelmus - Josephus DE L'EPINE, Antiquior Scholarum Magister, Antiquus Facultatis Decanus, Academicæ Censor.</i>	<i>M. Antonius PETIT, in Horto Regio Anatomies & Chirurgiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium regni Noscomiorum Inspector.</i>	<i>M. Claudius - Andreas GOVBELLY.</i>
--	---	--

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Sanctus - Ludovicus GUINDANT, è Regiâ Scientiarum Societate Monspeliensi.</i>	<i>M. Philippus - Alexander BACHER.</i>	<i>M. Bartholomeus - Tuffanus LE CLERC, Consiliarius Medicus Regis Ord. in ejus Castellero.</i>
<i>M. Claudius - Antonius CAÏLE, è Societate Medicâ Edimburgensi.</i>	<i>M. Dionysius - Claudius DOUCET.</i>	<i>M. Ludovicus - Gabriel DUPRÉ, Serenissimi Principis Condai Consiliarius Medicus.</i>

Proponebat Parisiis **CLAUDIUS - LUDOVICUS BERTHOLLET**, è loco Talloieres, Doctor Medicus Taurinensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1779.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis **QUILLAU** Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1779.